



H. Sax. C
1597



~~11. 7. 1785~~

IOANNES GEORGIUS I.

ELECTOR SAXONIAE,

ET

FRIDERICUS AUGUSTUS I.

REX POLONIARUM, ELECTOR
SAXONIAE,

REI IUDICIARIAE
LEGISLATORES.

LIBELLUS

AUGUSTI LUDOVICI DIEMER

IURIS UTRIUSQUE ET PHILOSOPHIAE DOCTORIS,
IN SUPREMA CURIA ET CONSISTORIO LIPSIENSI
CAUSARUM PATRONI.



LIPSIAE,

VENDIT C. G. WEIGEL.

MDCCIV.

JOHANNES GEORGII I.

ELECTORIS SACISSIMI

FRIEDERICUS AUGUSTUS I.

REX POLONIAE ET ELECTOR

SAXONIAE

REI IUDICIALE

LEGISLATIO

LIBERUS

AUGUSTI IUDOVICI THEODORI

JURIS PRAEPOSITI ET REGII SACISSIMI

IN SENATUS SACISSIMI CONSILII

SECRETARII

LIBERUS

FRANCISCVS WITTE

SECRETARIVS



ILLUSTRI VIRO

CHRISTIANO SAMUELI

GEHE, I. Ū. D.

SERENISSIMO ELECTORI SAXONIAE A CON-
SILIIS AULAE ET IUSTITIAE REL.

S.

AUGUSTUS LUDOVICUS DIEMER D.

Duplex ratio est, ut hunc libellum Tibi offeram, Vir Illustris, Fautor pie Venerande! nam gratias agens ad Te venio et gratulabundus. Alterum facio ob eximiam liberalitatem et humanitatem, qua placuit Tibi a quadriennio inde me ornare: nam Juris Con-
sulti,

*sulti, quem magnum et absolutum dicerem,
exemplar Tu animo meo proposuisti: inter
splendidissimae gentis comites me recepisti:
beneficiis auxisti: Jurisprudentiae masculae,
quae patriae profit et virum eruditum deceat,
indolem colloquendo et agendo docuisti. Alte-
rum ut faciam, hortatur me hoc festivum tem-
pus, quo quam dulcissimam esse scimus paterno
animo voluptatem, liberorum puta felicitatem,
eam eximia quadam ratione conferre in TE,
Vir Illustris, summo numini placuit.
Quae vero in hoc specimine tractantur, ea a*

Te

Te, harum rerum experientissimo et doctissimo iudice, neque pro novis neque pro absolutis habitum iri, ego profecto non nescio, ac neque dicta neque genus dicendi Te, Tanto Viro, digna esse concedo: sed laudabis bonam voluntatem viri, studiorum academicorum labore et strepitu forensi impediti, grati vero animi sensus hac qualicumque opella Tibi commonstraturi. Salvum et incolumem servet Te D. O. M. Propinquis, Amicis, Patriae, et qua Tu beatus jam gaudes gentis Tuae splendida coniunctione, eam semper, imo aucto membrorum

brovum numero, divinum Numen Tibi
concedat. Vale. Dab. Lips. Idib. Septemb.

CICIDCCCIV.

JOAN

Libelli Ordo.

Civitatium status duplex est, alter praeparatorius, qui armis regitur, alter certus et perpetuus, qui legibus, §. 1.

Inter leges praecipuum locum tenent *leges iudicia-
riae*, quod probatur ex historia Romanorum, §. 2.

item Imperii Rom. Germanici et Gallici, §. 3.

atque Saxoniae Electoralis sub Augusto Elec-
tore §. 4.

et Jo. Geo. I. §. 5.

Huius et Frid. Augusti I. Regis et Elect. leges
iudiciarias praestantissimas esse probaturi sumus ex
interna utriusque indole, §. 6. 7.

qua in re respiciendum est I.) ad consilium le-
gum iudiciariarum proximum, §. 8. ubi probatur

leges iudiciarias Saxon. Elect. tueri iuris imperi-
tos, adiuvere eos, qui natura sunt imbecilliores, im-
pedire rei familiaris profusores §. 9.

et ex eisdem legibus lites gerendas esse
modo tutissimo, §. 10.

exitu celerrimo, §. 11.

pretio vilissimo, §. 12.

II.) ad formam legis iudiciariae, et quidem a) in-
ternam, §. 13.

ex qua leges Saxon. Elector. Processuales sunt
aptae temporum rationibus, §. 14.

reliquis Saxoniae legibus maxime convenien-
tes, §. 15.

ita generales uti esse debent, §. 16.

b) ex,

b) **externam**, ubi docetur has leges esse brevissimas, §. 17.

clarissimis verbis conceptas, §. 18.

absque juris civilis admixtione, §. 19.


III.) ad personas in administranda re iudiciaria occupatas, et quidem

Advocatos, §. 20.

inferiores iudices, §. 21.

magistratus superiores. §. 22.

Conclusio. §. 23.



JOANNES GEORGIUS I,
ELECTOR SAXONIAE,
ET
FRIDERICUS AUGUSTUS I,
REX POLONIARUM, ELECTOR
SAXONIAE,
REI JUDICIARIAE
LEGISLATORES.

§. 1.

Reverum publicarum et civitatum vicissitudines, teste historia, et ipsa horum temporum experientia, duplicis generis sunt. Spectant enim aut evertendam et penitus diruendam eam, quae huc usque fuit civitatis formulam, novam vero praeparandam et invehendam, cuius status tristissimi tempora militaria et despotica potius quam civilia dixeris, quippe quae non legibus reguntur et iustis certisque, quae ex civitatis forma deri-

A

ven-

ventur, Constitutionibus, sed armorum potius vi et felicissimi cuiusque, qui rerum potiri sciat, victoria: aut sunt, quae ex isto statu quasi praeparatorio prodire civitatum formae et compositiones, certae et duraturae, quamvis in singulis momentis et rerum ad civitatem administrandam necessitatibus nondum satis definitae. Cuius rei discrimen facile est visu. Status enim militaris rerum publicarum incertus est ob formulae, qua gaudeat civitas, defectum: quem vero effecere leges ab summo rerum principe propositae et tutela publica firmatae certus et firmus: ille brevis ipsa natura sua et violentus, hic perpetuus et infinita quadam ad ultimam perfectionem provehendi capacitate insignis adspicitur. Quodsi remotus sit internorum bellorum strepitus et de principatu contentiones sopitae, incipiunt statim dominantium curae de confirmanda, quae ipsis placuit formula: arma vel abiiciuntur vel in externos tantum feruntur, non in cives, quos dehinc legibus non armis obedire iubet civitatis ratio et finis. Inde fit ut leges iam ferantur, antiquato imperii militaris, quod antea fuit, rigore: magistratus constituantur, remotis a civitatis regimine militum ducibus et imperatoribus: civilis auctoritas et potestas evchatur, contempta ea, quae primordio fuit melioris conditionis praeparatrix, pugnarum et castrorum obsidiorumque vi et superio-

ri-

ritate. Jam igitur leges conduntur, redituum publicorum, vectigalium, tributorum a singulis praestandorum modus et ratio praescribitur, et quod primum est et esse debet, civitatis constitutae gubernatori sapienti definitur iam modus iustus et perpetua ratio belli interni inter cives de rerum et personarum iuribus coram iudice gerendi, quod cum aeternum sit et nunquam finire omnino possit, unicum simul est, quod in constituta civitatis forma tolerari possit et iuvari.

§. 2.

Quippe haec res, quae est uti vides, iudiciorum civilium forma et ratio, seu, quem hodie dicere solent, *Processus iudiciarius* tantum abest ut vel ab imperfecta civitatis forma abesse possit, ut potius inter gravissima reipublicae formandae capita ipsam debeas numerare. Quod sensere omnes, quibus aut confirmanda erat civitas et legibus institutisque componenda, aut cum ab aliis recenter conformata esset, absolvenda tradebatur et ab omni parte emendanda. Exemplum sint Romanorum, quibus post eictos reges vix quinquaginta anni lapsi sunt sine accurata iudiciorum civilium institutione, cuius in XII Ta-

bulis clarissima habes vestigia ^{a)}, incremente vero republica quot datae sint de singulis iudiciorum formulis quis est, qui nesciat? Instituta fuerunt iudicia privata et publica: actionum mysteria inventa: singulis legibus quae dubia videbantur ordinata ^{b)}!

Labente dein imperio et ad tyrannidem abducto labi itidem incepit cum ipso iure res iudiciaria: ab unius enim nutu et militari imperio, non legibus aut iudiciorum ordine omnia pendere: sed qui restaurando imperio operam navabant imperatores primum Hadrianus ^{c)}, dein Valentinianus III ^{d)} et Theodosius
fius

^{a)} Eleganter, uti solet, tractavit hunc locum Jan. Vincent. Gravina Orig. Jur. Civ. Lib. II. §. 65. p. 250. seqq. Edit. Mascov.

^{b)} Clarissimus est de antiqua Romanorum rei iudiciariae forma CAROLI BRETII Ordo perantiquus iudiciorum civilium. Paris. 1604. 4. Formam ipsam Processus Romani breviter sed luculenter descripsit STRYK in diss. Processus Juris R. antiquus, Hal. 1698. cap. 4.

^{c)} Huius leges contulit BOTTEREAU in Hadriano Legislatore. Paris. 1604. 8.

^{d)} Quae de re iudiciaria a Theodosio instituta sint docet JACOBUS GOTHOFRED. in Comm. ad L. 1. Cod. Theod. de respons. prud. faciem rei iudiciariae
ante

fius iun. e) summum sibi opus non solum in iure ipso datum esse credere, sed praecipue in ordine iudiciorum rei cardinem quaerere, cuius rei multa exempla invenies tum in Edicto perpetuo tum in Codice Theodosiano. Imo ita demum praevaluit rei iudiciariae pondus in legislatorum animis, ut ipsum ius ex sola iudiciorum consideratione componendum crederent, actionumque et rei iudiciariae ordo et usus esset pro systemate et regula iuris componendi, quod videre est in magno et divino iuris Justiniani opere, cuius divisionem tum in Institutionibus tum in Pandectis, quippe qui soli libri systematici sunt, ad ordinem actionum et iudiciorum potius institutam esse, quam ex intima philosophia derivatam, quod Cicero

ante celeberrimam Valentiniani III Constitutionem describit Ammian Marcell. XXX, 4.

e) Annotarunt adeo Viri docti ordinem Codicis Theodos. et qui hunc secutus est Justiniani ex Edicto perpetuo esse, rei itaque iudiciariae aptum cf. SCHULTING. Ip. Antec. ad. Cod. Gregor. tit. de postulando: GOTHOFRED. in serie Codicis, quae in Manuali est.

Cicero poscit *f*), multi ante nos observarunt *g*).

§. 5.

Idem videmus apud recentiores populos accidisse, iudiciorum puta meliorem et accuratam formam mox stabilientes, cum certam et perpetuam nacti fuerint civitatis compositionem. Ita Maximiliano I, Germanorum Imperatori post pacem demum sancitam nil magis cordi fuit, quam constitutio iudiciorum imperii, quorum cuique ordinatione sua auctoritate publica data et confirmata est: nullam enim fore videbat sapiens princeps pacem publicam et foedarum inter privatos pugnarum prohibitionem, nisi certam sub
aucto-

f) Pertinent huc, qui de divisione Juris in Institt. differuere, cuius tertiam partem a Justiniano adiectam (actiones) contra logicam rationem agglutinatam esse facile quisquis videt, nisi futurorum iudicem et caussidicorum Iustinianum rationem habuisse meminerit, qua re simul effectum fuit, ut retineri ordo Institutionem Caii, qui jus triplex esse dixerat, personarum, rerum, actionum, ubi vocabulo actionum alias perfecto sensus inest, quam in Justiniani Institutionibus, cf. SCHULTING Ip. A. p. 4.

g) de Legibus I. 5.

auctoritate magistratuum pugnandi rationem, iudicia nempe varia seu processus genera statuerit ^{b)}. Eidemque imperatorio Germanico per tristem illam triginta annorum devastationem perturbato, imo fere diruto nil magis necessarium putavere imperii ordines lege publica eademque universali de ratione litium instituendarum et dijudicandarum quam a. d. MDCLIV latam esse sub Reccessus novissimi nomine omnes sciunt ^{c)}.

Quid? quod Gallorum adeo sciamus tempora ea felicissima fuisse, quibus cum optima iuris positione iunctas fuit modus brevissimus et tutissimus iura ipsa coram magistratibus persequendi. Quam rem suo tempore eximia cura amplexus est Colbertus ^{k)}, quamvis ipsa huius regni ratio non tulerit, brevem et claram dari rei iudiciariae formam, in perpetuum nempe prolongata Juris peregrini et patrii inter se pugna, immiscente se in-

fu-

^{h)} Iudicium Camerae pacis publicae servandae causa institutum expressis verbis affirmat Rec. Imper. d. a. d. 1512. §. 8. Declar. Pacis Public. de a. d. 1522. prooem. et Renov. Pac. Public. de a. d. 1543. prooem. §. 1, et passim.

ⁱ⁾ R. J. N. a. d. 1654. §. 8. 34. seqq.

^{k)} Eloge de Colbert par Necker, à Paris 1773. 8.

super jure consuetudinario ita, ut cum ex variis formis iudiciorum Romanorum, Ecclesiasticorum et patriorum misceretur processus iudiciarius, valere vidimus in Gallorum litibus civilibus, vel sub optimis regibus Hispanorum proverbium, quo, qui actionem instituit coram iudice palmam ferere dicitur ^{l)}, arborem puta cuius fructus in plantantem raro pervenire constat.

§. 4.

Sed vix probanda est longius exemplis aliorum populorum id, quod diximus supra: in promptu enim est historia patriae carissimae cuius principes summi et sapientissimi inde a ducentis et quinquaginta annis post rerum externarum et reddituum publicorum curam nil majus credidere, nil gravius pro interna civitatis salute, quam certam et communem omnibus civibus rei iudicariae seu processus formam. Qua in re uti in omnibus, quae spectant Saxoniae Electoralis felicitatem internam leges sapientissime conditas ^{m)},
civi-

l) Qui commence un procès, plante un palmier.

m) Constitutionum Saxonicarum historiam et indolem digno stylo descripsit HOMMELIUS in diff. Elector Augustus, Saxoniae legislator, Lips. 1765. et
in

civitatis formulam constitutam et emendatam ⁿ⁾), divitias vero per agriculturae, mercaturae et rei opificiariae summa adiumenta incredibili modo auctas ^{o)}), primus omnium laudandus est AUGUSTUS, Dux Saxoniae, Elector. Hic enim immortalis vir, summis quae rebus iustitiae et regiminis praecessent collegiis institutis, ipso negotiorum civilium perpetuo ordine per divisionem provinciae in circulos mirifice adiuto, rei iudiciariae fundamenta firma iecit.

Nam cum a. d. MDCLXXVII novas patriae leges laturus esset, ita rem iudiciariam pro gravissima

in Litt. Jur. Lips. 1761. p. 163. ubi de processu quaedam addidit.

n) V. c. institutis collegiis Camerae, provocationum, consilii intimi et tributorum, quae *Steuern* dicuntur religionis, quoad statum publicum, perpetua confirmatione; dicasteriorum variorum, praecipue Scalpinatus Lipsiensis, restauratione; circulatorum post consolidationes varias definitione, rel.

o) Ill. ROESSIG de Augusto I, Elect. Saxon. oeconomiae privatae principis nec non politicae experientissimo, Lips. 1784. 4. et EJUSD. *Abhandlung über die staatswirthschaftlichen Verdienste des Churfürsten Augusts zu Sachsen, im Sächsischen Museo.* Bd. 2. S. 1. Band 2. St. 2.

fima re a se haberi monstravit, ut vel Primam Constitutionum, quod nomen legibus suis dedit, partem huic rei dicaret, et quae tunc temporis imperfecta et incerta fuisse testantur tum istorum temporum historia *p)* tum Consultationes, quas dicunt, Constitutionum Saxonicarum ea omnia in processu tam civili quam criminali et clientelari seu feudali absolvit et supplevit *q)*. Ita quidem non continuam iudiciorum civilium seriem praemonstravit legislator summus, sed processus praecipuas partes accurate descripsit, libellum puta, modum in iudicio ius proponendi, exceptiones, quarandam, satisfactionem, reconventionem, litis contestationem, juramentorum praestationem, probationem cum reprobatione et utriusque temporibus, remedia suspensiva et devolutiva, sententiarum publicationem, et

p) Conditionem rei iudiciariae, quae tunc temporis fuit, diligentissime et uti decet artis peritum descripsit MELCHIOR AB OSSA in Testamento, Cap. XIV. von den Justitien. Cap. XV. Wodurch die Justitia dieser Lande in Fall kommt, Cap. X. v. 1. Von Advocaten, p. 453. seqq. Edit. THOMAS.

q) Constitt. Pars Prima. Judicialia Germ. Ordnungen, den Rechts-Process und was den Gerichten mehr anhängig ist, belangend. p. 7—27. Edit. HAUBOLD.

et ipsam executionem: quoad reliqua, ad usum
fori Saxonici et ius commune, quod saepe ab ipso
laudatur, iudices ablegavit.

§. 5.

Eo ipso tamen Ictorum disputationibus et super
forma processus opinionibus multum a summo
Principe tributum esse facile est ad intelligendum.
Imo se ipsum quasi superasse videtur. Venerabi-
lis Patriae Pater, qui cum instituisset admini-
strandae iustitiae et juris dicendi clarissima colle-
gia, Provocationum Senatum ^{r)} Scabinorum
Lipfensium gravissimum consortium ^{s)}, Camerae
quoque ^{t)} et quod intimae admissionis res tracta-
re jubebat Consilium ^{u)}, simulque regiminis Pro-
vincialis formam variis modis emendaverat, effe-
cit his omnibus, ut multarum quaestionum rem
iudiciariam spectantium nova solutio desiderare-
tur, imo obsoleta et superflua fierent varia iuris
iudiciarii capita, quae ante Juris Romani ex-
pressam

r) ao. MDCLIX.

s) ao. MDCLXXIV.

t) ao. MDCLV seqq.

u) ao. MDCLXXIV. ROEMERI *Staats-Recht und
Statistik des Churfürstenthums Sachsen. II. P. 96. flg.*

pressam admissiōem valuerant. Ita factum ut, qui sub ipso et utroque Christiano, Sax. Elect. rei iudiciariae formam cautus et doctus fuerat observator HARTMANNUS PISTORIS ^{v)}, filius SIMONIS PISTORIS, quem uti inter doctissimos ita inter sapientissimos et felicissimos omnium temporum homines optimo iure numerandum credimus, componendam sumferit sibi privato studio novam rei iudiciariae formam, quam ex schedis eius defunctam XXI annis post eius obitum, lege publicā, ab Electore Joanne Georgio I ingenti merito propositam esse scimus ^{x)}.

§. 6.

^{v)} Vide de utroque praeter JOECHERUM in *Lexico RIVINUM* in Praefat. ad *Enunciat. Juris*, ALBINUM in *der Meißnischen Land-Chronik*, S. 553. *fig.* et ADAMI Vitas ICTORR. qui ALBINUM secutus est. HARTMANNUS PISTORIS, Dominus Sufelitii et Hirschstein qui Augusto et Christianis a Consiliis intimis et provocationum, fuerat, diem obiit a. CIOIOCI. Cal. Mart. nomenque *Papiniani Saxonici*, quod recentiores magnum nostratum JO. HENR. DE BERGER ornare, suo tempore meruit.

^{x)} Historiam huius legis exposuit breviter HOMMEL in *Literatura Juris* p. 165. seqq. ed. 1761. plura dat WABSTIUS in libro nobilissimo: *Historische Nachricht von des Churfürstenthums Sachsen — Verfassung der — Justiz*, Leipzig, 1752. p. 50. 51.

— 15 — §. 6. *Ordinatio*

Est vero haec ipsa rei iudicariae forma et lex
feu, quam dicunt, *Ordinatio Vetus*, eius in-
dolis, ut ultimis consiliis, finibus, limitibus-
que tali legi scribendis, tanquam optimam
exemplar et elegantissimum specimen hanc! no-
stram legem proponi posse credamus: mirabi-
lem vero deprehendi in levioribus quibusdama
maculis emendandis moderantiam *Friderici Au-*
gusti I, Regis et Electoris, qui cum optimam ter-
ris nostris animadverterit datam esse a *Jo. Geor-*
gio I rei iudicariae legem y), haud abiiciendam
credidit, sed commentario potius perpetuo illu-
strandam et temporum rationibus aptandam: ita
ut adhibitis meditationibus quatuor virorum, re-
rum civilium et formae regiminis, qua patria
gaudeat, peritissimorum, perfectam nobis de re
iudicaria legem et talem reliquerit, quae fere
omnes Germaniae provincias hac in re uti in
multis

y) Historiam novae legis iudicariae feu *Ordina-*
tionis recognitae apud eosdem duumviros quaere
locis citatis, quibus adde *RIVINUM* in Praefatione ad
Enunc. for. et si primam emendatae legis speciem vi-
dere tua interest, habebis eam in *BERGERI Electt.*
Disceptt. for.

multis aliis a Saxonibus victas esse common-
stret z).

Quam legis sapientissimae absolutionem per-
fectissimam possent quidem patriae ICTi facillime
probare ex summa, quam apud exteras germa-
niae partes comparavit sibi auctoritatem, qua vel
in ipsas Imperii leges confirmandas summa vi ga-
visam esse constat. Sed cum multi fuerint, ante
nos, quibus id negotium fuit, exponere per ar-
gumenta externa et historica dignitatem et prae-
cipuam absolutionem Processus Saxonici, liceat
nobis alia via ingredi, quae his ipsis, quibus vi-
vimus, temporibus aptior videtur, ita ut *summam
praestantiam utriusque legis iudiciariae*, quibus in
Saxonia Electorali utimur, *ex interna utriusque
indole et cum ultimis iudiciorum regendorum regulis et
consiliis insigni convenientia.*

§. 7.

z) Cuius rei eminens exemplum est imitatio an-
tiquioris legis iudiciariae in Ordinatione Camerali et
Recessu Imperii novissimo, quem principiis Processus
Saxonici superstructam esse et qua ratione id factum
fuerit? exemplo libelli articulatis, quem utraque lex
odit, docet LEYSER Spec. XXXVI. Tom. I. p. 566.
seqq. Edit. Guelpherb.

§. 7.

Duplex nobis datur officium: primum ut indicemus, quaenam sint ultima consilia et principia, in promulgando ordine iudiciario a legislatoribus observanda: secundum, ut probemus, convenire cum nobilissimo isto et altissimo exemplari formam processus iudicarii in utraque ordinatione nobis scriptam, ipsasque adeo duas leges exemplaris loco esse posse omnibus, qui harum rerum futuri sint in civitatibus Germanicis aut legislatores aut rectores.

Omnis vero rei iudicariae constitutio triplici momento diiudicanda est, et triplex est ratio, quo eius vel praestantiam et utilitatem vel imperfectam et noxiam compositionem discernas. Quippe qui legis iudicariae indolem examinaturus est, spectat vel *consilium proximum, quod assequi vult legislator legem iudicariam ferens: vel versatur in forma legis iudicariae tam externa quam interna, vel denique personas respicit, quae in administranda re iudicaria publico munere occupantur.* En ternionem quaestionum, ex quibus, praemissa generali dissertatione nostram legem ad summam absolutionis notionem attingere probabimus.

§. 8.

§. 8.

Primam diiudicandae legis iudiciariae seu quam dicunt ordinationis processus, regulam fundendam diximus ex *Consilio proximo per ipsam assequendo*. Id vero consilium aut *ante litis ingressum* se exferit, aut *per litem ipsam* consequendum est. Ad illum locum spectat, quod forma processus per legem iudiciariam praescripta a) *tueatur iuris imperitos*, b) *adiuvet qui natura imbecilliores sunt*, c) *iustis limitibus circumscribat rerum suarum profusores* aut aetate iuvenili abreptos aut fanae rationis defectu corruptos: alterum vero locum habes in eo, quod *quaevis coram iudice litis tractatio debeat adiuuare cives in rebus et iuribus aut acquirendis aut tuendis*. a) *modo tutissimo*, i. e. cuius exitum certum habeant et sibi praedicere possint ^{a)}, b) *exitu celerrimo*, i. e. ita instituto, ut
pro

α) „Jo non trovo eccezione alcuna a questo assioma generale, che ogni cittadino deve sapere, quando sia reo, o quando sia innocente. — L'incertezza della propria sorte ha sacrificate più vittime all' oscura tirannia, che non la pubblica e solenne crudeltà.“ BECCARIA dei delitti et delle pene, §. 55. Cf. quae de hac re monuit Vir, quem expertum iudicem nemo negat, CHRIST. THOMASIVS in notis ad OSSAE Test. p. 452.

pro ipsius litis natura, quam brevissimo tempore iudicium finiatur, neque liceat astuta legis iudiciariae interpretatione *iustam* causam ita impedire, ut, cum decisa sit, victoriae nulla detur utilitas, *iniustam* vero ita protrahere, ut vel taedio longitudinis, quod iustum adversarium consumit, victoriam reportare possis ^β): c) *pretio vilissimo*, nam cum per se malum sit lis, non augendum est eius onus, sed quoad fieri potest, minuendum. Quod si senae hae virtutes reperiantur in lege iudiciaria, consilio suo satisfecisse iure ea dici poterit.

§. 9.

Jam qua ratione id factum fit in ordinationibus nostris tum priori tum posteriori animadvertite. Personis ius ignorantibus, mulieribus ^γ), minoribus ^δ), rel. qua cura prospectum in utraque lege? In doctrina de formula mandati, quam vides in antiquiore lege diligentiam ^ε), in

β) Luculenter et exemplis, uti solet, explicuit hoc idem THOMASIVS l. c. p. 435. seqq.

γ) O. P. N. et R. Tit. VIII.

δ) ib. Tit. IX.

ε) O. V. Tit. VII, §. 3. 4.

in recentiore vero liberalitatem rationi convenientem §)? Nulla ibi chartae blancae mentio, quam in partium detrimentum invenit astutia advocatorum, quippe qua hi eos decipiunt, qui jus ignorant, nominibus vacuae chartae inscriptis ad alia quaecunque abusi: imo ipsa processus forma, tempus longius quod a citatione ad primum terminum conceditur, ut interea, qui iura nesciant, possint amicos de re sua consulere; terminus ad amicam causae compositionem datus ¶), ubi si quid forte in partium detrimentum ab Advocatis factum sit, a iudice litigantes, remotis quoque causarum patronis, ad transactionem admonendi sunt: haec omnia, inquam, nonne satis docent, bene prospectum esse ius ignorantibus per leges nostras iudiciarias?

Idem

§) O. R. ad Tit. VII.

¶) Videtur quoque in tempore, quo hic terminus datur, magna legislatorum sapientia apparere. Experientia enim docet, juribus per disputationes accuratius cognitis, expensis insuper tum judicialibus tum extrajudicialibus utrinque praestitis, neutram partem ad transigendum pronam deprehendi; jus experiri volunt potius, qui victuros se credunt et qui victum se iri vident, sententiae cedere consultius putant, quam adversarii voluntati.

Idem credimus factum esse per summam curam et tutelam, qua qui natura imbecilliores sunt, legibus nostris adiuvantur. Pertinent huc, quae antea dicta sunt de officio iudicis ante litis ingressum: quae de Advocatorum transactionibus, infestorum remotione, eorumque ob hoc ipsum vitium punitione ⁹⁾ expressis verbis utraque lex iussit: imo tota processus executivi limitatio quoad literas cambiales huc referenda est, ad illud nempe tempus reiecta, quo vel hebetissimis rerum suarum cura, si unquam, concedenda videbatur ¹⁾: in quo videtur quidem nobis obiici posse dura diffessionis documentorum quoad contenta denegatio ²⁾, quae tamen magis ferenda, dummodo quae de mandati formulis antea observavimus, ea, qua debebant, sanctitate semper observata fuissent. Causarum patroni, qui in hac re plurimum occurrunt, quanta diligentia admoniti ³⁾! quam caute per iussam ipsis nominum subscriptionem clientibus prospectum ⁴⁾!

B 2

qua

9) O. V. Tit. VIII. §. 1.

1) O. R. Append. §. 11.

2) O. R. ad Tit. XXV. §. 6.

3) O. R. ad Tit. III. §. 1.

4) ibid. §. 2.

quā sapientia ipsorum pudori relictum, quod nulla poenarum minatione effectum iri sagaces utriusque legis auctores viderant v)!)

Sed circumscripta quoque fuit per utramque legem iudiciariam vesana litigandi libido, qua multos homines, inferiorum praecipue ordinum, ad lites instituendas ridiculo conatu tristisque interdum utriusque vel infantis quoque ruina abripi animadvertimus ξ). Quos stultos rei familiaris profusores coërcuit praecipue locus utriusque ordinationis iudiciariae de litium expensis, et principia ibidem de condemnatione in expensas proposita: compensatio expensarum prohibita: iuris pauperum strictior definitio o): litium omnino sine iusta causa instituendarum horror per totam processum nostri ordinationem conspicuus. O felicem patriam, o certum et tranquillum civium statum, o mirabilem litium

v) O. R. ad Tit. III. §. 1. „dass sie ihren theuren Eyd wohl bedenken, und sich allenthalben dergestalt bezeigen mögen, wie sie es gegen Gott und gegen uns zu verantworten sich getrauen.“

ξ) O. P. Tit. I. ib. Tit. XXXVI. et O. R. ad hunc Tit.

o) O. R. ad Tit. I. §. 10.

iniustarum fugam et iustarum citissimam compositionem, dummodo legibus sapientissimis prudenter obediremus!

§. 10.

Sed quae perfectam rei iudiciariae formam allaturae sunt leges, eae ipsis quoque litibus tales normas scribant necesse est, ut modo tutissimo, exitu celerrimo, pretio vilissimo disputent inter se cives, quibus iurium in foro persequendorum tristis necessitas imposita est, quod si non fecerint leges iudiciariae, non iuris persequendi sed improbe litigandi vias tradidisse credentur. Modus vero tutissimus iudiciorum est ille, cuius vicissitudines, expensas, requisita, exitum vir haud plane rudis, etiam sine juris peritia possit intelligere, sibi que quasi praedicere π):

in

π) Qui igitur speciosa quadam Philosophiae et principiorum perpetuorum ostentatione indolem, quam dicunt, legum, non expressa verba sequuntur iudices et interpretes, fingere potius videntur sibi aliquod ius, quam ex voluntate legislatoris, cui in civitate constituta unice jus leges ferendi competit, jus pronuntiare. Quae philosophia iuris ipsis dicitur, est potius iuris incertitudo et vagae auctoritatis, uti in omni iure ita in re iudiciaria, auxiliatio. Cuius rei magnos hodie viros

in his autem eximia profecta est nostrarum legum de re iudiciaria praestantia. Abiecta enim in his omnia, quae ad rei litigiosae decisionem non faciunt ^e): formulae solennes, hominum minus doctorum vexatrices: simplex pertractandae rei litigiosae series actuum proposita: abrogatae adeo, quae ex antiquis patriae ritibus supererant, solennitates inutiles: prohibitae, quibus plerumque partium animi irritantur, Advocatorum instigationes et a transactione sive amica compositione dehortationes ^e): iudices moniti, ut adhortentur partes ad evitandas litium difficultates, sed si transigi de re nequeat, ut de ipsa
 pro-

viros videmus patronos, v. c. Ill. KIND. in Quaest. for. IV, cap. 69. ubi literae legis opponit perpetua veri principia, sed quid? si aliis verum et utile visum fuerit, id quod interpretes reprehendunt? nonne incertum ius, civibus obnoxium, caussidicis molestum, ortum iri vides? Nonne monuit suo iamiam tempore nobilis Gallorum scriptor Montesquieu: „que les lois qui paroissent s'éloigner des vues du législateur, y sont souvent conformes.“ Esprit des lois, Liv. XXIX, Chap. 3.

^e) Consilium exprimit uterque legislator in praefatione.

^e) O. V. Tit. III. „billige Vergleichen vielmehr befördern, als hindern.“

processus forma edoceant et ad agendum ab-
legent τ): facilis singularum partium processus
nostri conspectus: libellus, citatio, terminus prior,
disputatio, sententia, probationes, disputatio su-
per iisdem absque difficultate et molesta longi-
tudine se excipiunt: haec omnia autem ita ordi-
nata, ita clara, ut tutior, quam qui legibus nostris
datus est, litium gerendarum, modus vix dari possit.
Neque enim credendum est, intra prioris tempo-
ris, quod a citatione datur, usque dum in ius
itur, non potuisse reum praeparare, quae ad re-
spondendum et defendendum spectant: neque
probabile est, teste forense experientia, di-
lato post disputationem primam termino litis
amice componendae, transactum iri ab iis, qui
tunc experti sunt, quid efficere possint, certe ab
alterutra parte υ): neque carpendae essent un-
quam leges nostrae sapientissimae de temporibus
ad actus processuales concessis, nisi alia essent ea-
que

τ) O. R. ad Tit. I. §. 2.

υ) Qui transigit, inquit Ulpianus, quasi de re du-
bia et lite incerta, neque finita transigit. L. 1. de
transactionibus. Vix igitur videntur litigantium ani-
mos animadvertisse, qui sperant, transactum iri ab
iis, qui jus suum jam experti sunt.

que miserrima litium protrahendarum et in infinitum protelandarum auxilia. Sed de his statim.

§. 11.

Postulavimus nempe antea a lege iudiciaria, quae absoluta videri velit, ut celerrimum faciat litium ipsarum, quae necessario instituendae fore, exitum et finem ϕ). Nam in eo omnes consentiunt, nil optabilius esse in tristi de iuribus pugna, nil iucundius, citissima ipsarum finitione, quod ipsa adeo iura agnovere, cum litium finem esse dixerint, ut finiantur: litium vero longarum, quarum haud rarus hodie aspectus, imo crebrior futurus est, quo longiores de hisce rebus leges condi videmus, legulejorum et rabularum inventis opportunissimas, litium longarum, inquam, aspectus tristis et horridus civium singulorum et familiarum, imo collegiorum univerforum et urbium aeterna diffidia: egestas dira: iustitiae male administratae execrationes: partis deiectae miserabilis paupertas: malorum hominum, qui do-

lofis

ϕ) Multa bene monuit hac de re antiquior quidam, sed non spernendus auctor **DOEHLERUS**, in *den Vorschlagen, wie das Justiz-Wesen — verbessert werden könne.* Leipzig, 1712. Cap. VI.

lofis infidiis artibusque nixi triumphant, scelerata superbia et iustitiae, quam pecunia et dolis ludi posse sciunt, indigna contemptio: inde viduarum et orborum lacrimae: pauperum flebilis depressio: civium in magistratus suspiciones: publicae fidei fractiones et laesiones: salutis communis, quae sine virtute civium esse nequit, miserabilis ruina!

Et haec profecto sensere legislatores Saxones, rem iudiciariam apud nos ordinantes: summa ipsis temporis contrahendi cura x): fatalia accuratissime descripta sunt: nulla compromissorum, quae ab Advocatis ad negligentiam iuvandam inventa sunt, mentio: dilationes non nisi urgente necessitate et praemissis solennitatibus concessae ψ): brevissimum ad disputationes tempus praescriptum ω): atque haec omnia tam bene et sapienter, ut quae meliora inveniri possint ad contrahendas

li-

x) O. R. in praef. „Unsere landesväterliche Sorgfalt ist jederzeit dahin gerichtet gewesen, damit — einem jeden zu seinem Rechte aufs schleunigste verholffen werden möchte!

ψ) O. R. ad Tit. XX. §. 3.

ω) O. R. ad Tit. III. §. 3.

litium ambages, citissimamque ipsarum decisionem vix habeas ^{a)}.

§. 12.

Adde, quod ultimae virtutis in ordine iudiciario, quoad proximum eius consilium requirendae, ordinationes nostrae bellissima exemplaria praebent. Vilissimo, quo potest fieri, pretio debet ius suum experiri civis in bona civitate vivens: quod cum viderint legislatores nostri, nolere promulgare legem iudiciariam sine expensarum expressa descriptione et singulari lege de ea re adiecta: imo adiuvere quocunque modo ipsos litigantes, ne nimis expensis opprimerentur, v. c. pauperum iura speciatim exponendo; libellos minus aptos iudicis emendationi commendando, si forte ad definitivam usque sententiam absque adversarii seu iudicis reprehensione steterit ^{b)};

advo-

a) Nobilissimum celerrime administratae iustitiae praebet suprema Curia Provincialis et Lipsiensis, cuius Praefes summe Venerabilis repetitis legibus Caussarum Patronos ad iustum ordinem redegit, legi iudiciariae plane convenientem.

b) O. R. ad Tit. V. §. 4. Nempe vidit legislator sapientissimus, male consultum iri utrique parti, libello in definitiva reiecto, post expensarum et temporis

poris

advocatorum denique uti iudicum expensas dicasteriorum moderationi subiiciendo. Qua in re negare nolumus, multa pro temporum rationibus mutatis mutanda, multa utriusque partis utilitate, tum litigatorum tum eorum, qui iuri vel dicendo vel defendendo inferviunt, mutari debere; sed cum ad politices praecepta haec spectent, mittamus et ad secundum thema transeamus.

§. 15.

Num assequatur, quem debet, absolutionis gradum lex iudiciaria generalis, seu, quam dicunt, ordinatio processualis, id ex *forma eius* secundo loco iudicari posse et debere affirmavimus, formam vero duplicem esse, internam et externam. Quae quoad formam internam perfecta dici vult lex iudiciaria, ea fit a) apta temporum rationibus, b) reliquis eius populi, cui scribitur,
legi-

poris flebilem iacturam; sed datur actio contra causticum? Atqui scis, hanc diabolicam esse, et qua demum ratione restitutum iri putas temporis, fortunae, famae detrimenta? Equidem iis non assentiendum credo, qui hanc legem optimam, ut philosophicis principiis adversantem, abicere voluerunt, v. c. Ill. KIND. Quaest. for. Tom. IV, cap. 69. Cautissime vero distinxit HOMMEL in Rhaps. Obs. CXI.

legibus consentanea ^{c)}, c) et cum fit generalis nec ad singula quaedam negotia componatur, fit vere generalis, i. e. quae dilucido et claro sermone usa summas processus iudicarii regulas proponat et abstineat ab anxia quadam singulorum casuum enumeratione, quae, cum absoluta nunquam esse possit, locum dat multis Advocatorum et Jurisconsultorum disputationibus ^{d)}: iure haec a perfecta processus ordinatione postulari vix est, qui neget: videamus, num talem se praebeat utraque lex iudiciaria, quam Saxonia electoralis sequitur.

§. 14.

Aptam omnino fuisse utramque legem rationibus temporum, quibus concedebantur, vel pri-

c) „Comme les lois civiles dépendent des lois politiques, parceque c'est toujours pour une société qu'elles sont faites, il seroit bon que, quand on veut porter une loi civile d'une nation chez une autre, on examinât auparavant, si elles ont toutes les deux les mêmes institutions et le même droit politique.“
Montesquieu, l. c. L. XXIX, Cap. 13.

d) Exemplis variis hoc illustrat Montesquieu l. c. LL. XIX — XXVI.

prima inspectio demonstraverit, ita ut expressa Friderici Augusti Regis ea de re assertione opus non sit *e*). Retinuerat Jo. Georgius Elector varias antiqui processus Saxonici solennitates, v. c. guarandam, arrestum, quo ius reale acquirebatur, rel.; ea abrogavit Rex, ut recentioribus temporibus minus apta *f*), mutatisque per recentiores leges iuribus non convenientia: idem contigit seriei scriptorum ad disputationem super probatione instituendam pertinentium *g*), ut alia taceamus. Cur ita? nempe quia brevius hoc agendi genus utilius futurum erat ex quatuor virorum, antiquae legis emendatorum, recto harum rerum iudicio. Inprovincia enim, per mercaturae, commerciorum, et agriculturae diligentius exercitium opulentiore et per splendidam aulae faciem, peregrinorum multorum receptionem, magni denique Poloniarum regni accessionem variisque conditionibus tum civium inter se tum cum extraneis ditiori, solenniores istae antiquorum temporum
for-

e) O. R. in praef. ubi potestatem pro rerum et temporum conditionibus legem declarandi et emendandi sibi reservat legislator.

f) O. R. ad Tit. XLVIII et LI.

g) O. V. Tit. XXIX. et O. R. ad eund. tit.

formae, ut litium protractrices, non convenire videbantur causarum litigiosarum numero, quem augeri divitiis et variis civium inter se negotiis vel rei natura docebat. Ita quae de munere iudicum, quae de advocatis, quae de poenis in utrosque decernendis, cum contra sacra officia forte egerint, dicta sunt, digna videntur omnino, quae promulgentur in provincia tali, qualis tunc esse coeperat Saxonia nostra et hodie est, id est, a sapientissimis principibus gubernata, splendidissimis ad regiminis administrationem collegiis instructa, inter reliquas Germaniae partes primarium locum tenente.

§. 15.

Atque haec eo verius dicuntur de legibus nostris iudicialibus, cum reliquis simul patriae legibus et institutis eae sic conveniant, ut qua ratione melior litium ordo constitui debuerit, nemo facile vel in singulis momentis docere potuerit. Pertinet huc perpetua inferiorum iudicum, quae a superioribus iudiciis in ipsos exercetur, inspectio ^{b)}: pertinent de remediis suspensivis re-

gu-

^{b)} O. V. toto titulo de officio iudicum et O. R. ad eundem tit.

gulae ⁱ⁾ et apostolorum transmittendorum necessitas ^{k)}, ita, ut non a singuli cuiusdam hominis, iudiciali munere vestiti, odio seu favore, ignorantia seu cunctatione pendeamus, sed ab ipso summo regimine res nostras iudicari sciamus: neque minus huc referenda est legum quarundam singularum adiectio, quam Augustus Rex fieri curavit in calce recognitae legis iudicariae: porro quae ubivis habetur variarum, quas dicunt, instantiarum seu iudiciorum ratio accurata, legumque, quae singularibus iudiciis v. c. mercatorio Lipsiensi, scriptae sunt, observantia: privilegiorum, quae fundis equestribus concessa sunt, sanctitas, eorum, quae iussa erant antiquioribus legibus, Constitutionibus Saxonis, Resolutione Gravaminum ai. MDCLXI et Decisionibus Saxonis, diligens laudatio etc. Quam bene cohaereant haec omnia cum patria formula publica, ordinum iuribus, legibus anterioribus, cur singulatim dicamus?

§. 16.

Denique ultimo, quod formae internae esse diximus, officio optime satisfecit utraque ordinatio

i) O. V. Tit. XXXV. O. R. ad eund.

k) O. R. ad tit. I. §. 7.

natio iudiciaria. In lege generali ad iudicia spectante *generalia* tantum praecipienda esse, clarum est: verendum enim, ne, si hanc regulam neglexerit legislator, in singulas singulorum casuum definitiones immerfus, obscurus fiat et cum desint regulae generales, difficilis videatur iis, qui in vita ipsa et praxi iuridica legibus debent uti jus dicendo, iudicando, respondendo, patrocinando ^{l)}. Quae regula ita observata fuit ab utriusque ordinationis processualis auctoribus, ut cum diligentia accurata iuncta sit liberalitas quaedam et reverentia publicae fidei ^{m)}, pudorisque virorum, iustitiae administratorum, digna recordatio. Reliquere quaedam sanae iudicium rationi legislatores sapientissimi ⁿ⁾, alia summi prin-

^{l)} „Generatim legislatores sciunt, quo longiores leges scribunt, quo plures limitationes et praescriptiones miscent, quibus discentium et consulentium memoria gravatur, eo citius voluntates suas evanescere. Legem brevem esse oportet et puram, non tricis cirroque similem.“ HOMMEL. Rhaps. Observ. DXXXI.

^{m)} Cui liberalium virorum ingenio opposita est, quam Scaevolae Lucius Titius in Juris peritis reprehendit L. 1. 83. §. 17. de Legat II. quorundam legislatorum „nimia et misera diligentia.“

ⁿ⁾ v. g. O. V. Tit. I. X, §. 2. XIII, 2. etc.

principis decisioni reservavere ^o), iustorum, quibus omnes res humanae et leges circumscribantur, limitum bene memores.

§. 17.

At his ipsis praemonitis ad alteram rem, *formam externam* puta, pervenimus. Quae cum in lege iudiciaria, ut haec absoluta dici possit, necessario postulet, ut ipsa ejus compositio fiat a) *pau-
cis verbis* ^p), b) *verbis quam fieri potest clarissimis et
quae nulla interpretatione egeant* ^q) c) *absque ulla
iuris civilis commixtione*, quippe quod hujus loci non est, sed propriis legibus, a re iudiciaria plane separandis, tractatur ^r).

Has

^o) expressis verbis fecit id O. R. sub finem Mandati praefationis loco praemissi.

^p) „Le style (des lois) doit être concis. Les lois des douze tables sont un modèle de précision: les enfans les apprenoient par coeur. Les nouvelles de Justinien sont si diffuses, qu'il fallut les abrégger.“ Montesquieu E. d. L. XXIX, 16.

^q) „Il est essentiel que les paroles des lois réveillent chés tous les hommes les memes idées.“ Id. ibid.

^r) Exemplar recentioris legis iudiciariae, in qua triplicis virtutis conspicuum est studium, praebet abs-
que

Has enim virtutes abesse non posse a lege iudiciaria tum ob generales legum ferendarum regulas, tum ob eam, quae propria est huic negotio naturam, facile quisquis videt. Ordo iudiciarius fit paucissimis et brevissimis verbis conceptus, cur? quia formales duntaxat normas nobis communicat, quae ad agendum in variis litis iudiciariae partibus et rationibus spectant. Verbis praeceptivis pro rei natura opus est, ne longas disquisitiones proponendo, disputationibus, doctissimis forte sed inutilissimis ansam, praebendo, negligere legis auctor videatur consilium primum, quod ante oculos esse debet, i. e. *regularum propositarum promptum et facilem ad casus obviantes usum*: hoc eius munus est, haec ab ipso expectantur, ut paucissimis verbis et formulas
ma-

que dubio, qui Cal. Maj. CIOIOCCCLXXXI promulgatus est, Ordo Iudiciarius Iosephinus terris domus Auuustriacae hereditariis scriptus, quem cum legeris et relegeris dubitabis, utrum verborum brevitatem et nervum, an dictionis eximiam claritatem et pondus, an ordinem strictum et modum, quem ipsa rei natura postulat, magis admirandum dicas? Illum vero una cum lege eod. die publicata de Concurſu creditorum vix C paginas formae octonariae sibi postulasse vides in Collectione legum Iosephi II, quae prodiit Viennae CIOIOCCCLXXXVIII. Tom. I. p. 77. seqq.

mathematicas imitatus prodat legem suam, non ad materiam iuris, sed ad formam agendi duntaxat pertinentem. Neque neglecta fuit haec regula ab antiquioribus rei iudicariae tum legislatoribus tum scriptoribus ^{s)}, cuius rei eximium praebet exemplar Joannis Georgii I. lex iudicaria Saxoniae data eiusque imitator Recessus imperii novissimus: utriusque deinde dignum exemplar imitata fuit quam Recognitam Ordinationem Processus nostrates dicunt. Docet hoc utriusque legis exigua moles, docet verborum cauta contractio, paragraphorum brevitatis et rotunditas, regularum, quae proponuntur, clara et distincta enunciatio. Nempe experti erant huius brevitatis usum et necessitatem sapientes viri Hartmannus Pistoris, Jacobus Bornius cum collegis et Michael Henricus Gribner, quibus non visum est, cum quilibet suo tempore collegio iuridico praeesset, praxeos igitur quotidianae ante oculos versarentur rationes et vitia, iuvandam esse

C 2

Ad-

s) sic v. c. Compendium processus haud ita imperfectum quod a Matthia HUPFUFF impressum est Argentorati ao. CIOIOVII. absolvitur decem foliis, quamvis auctoris consilium fuerit ex inscriptione, proponere librum „dadurch sich ein jeglicher vor dem gericht behelffen und verdedingen mag.“

Advocatorum malignam lites protrahendi per vanas eruditionis ineptae species libidinem, cui nil magis proficuum, quam verborum in lege iudiciaria profusio et nimis copiosa coacervatio. Iustis itaque sese limitibus circumscribere leges nostrae quoad verborum copiam: sanae adhibentium rationi et iudicantium observationi aliquid relinquentes.

§. 18.

Sed ut brevis fit lex iudiciaria, effici non potest, nisi fit *clarissimis verbis* concepta, seu quae nulla interpretatione egeant. Quis enim vitae civilis et rerum forensium prudens fuit observator, qui non viderit, litium plus iusto protrahendarum et, ut legis celeberrimae verbis utar, ad immortalitatem evehendarum ^{t)}, hanc praecipue causam dari, ut disputetur de sensu et convenientia variorum legis locorum, doctae simul et ineptae significationes fingantur et defendantur, scripta nimia et plus iusto longa edantur, miserabili partis vel alterutrius vel utrius-

quo

t) R. J. N. §. 34. „wie die Proceß — zu der litigirenden Partheyen größtem Schaden und Nachtheil — gleichsam unsterblich gemacht werden.“

que adeo ruina et iustitiae profanatione! Magna est etiam in hac re legum iudiciariarum, quibus nos utimur, excellentia: earum auctores non solum apertis verbis affirmant ^{u)}, sed re ipsa monstrant, id se consilium secutos esse, ut legibus his propositis iuris certitudo et omnibus aequa iustitia reddatur: docet id, genus dicendi cautissimum quidem sed clarum simul et facile, ut semper scias, quid velit sibi legislator? cur sic iusserit rem institui? cur haec mutaverit, haec servaverit? Legat, qui rei per totum sermonem utriusque legis oculenter probatae eminentis documentum optaverit, titulos de libello et de probatione eiusque auxiliis ^{v)}: in quibus deprehendet ordinem dilucidum, principiorum philosophicam rationem, iuramentorum, documentorum, testium, accuratam considerationem, variorum graduum, quibus thema probandum probabile fit iudici, computationem Logices praeceptis aptissimam, ita ut

mi-

u) O. V. in praef. verbis: *Dieweil wir aber gleichwol etc.* O. R. in praef. verbis: *Und weiln hienächst zu denen bisherigen Weitläufigkeiten nicht wenig Anlaß gegeben, dafs etc.*

v) Tit. V. XX seqq.

mirum non fit, clarum esse sermonem et omnibus numeris absolutum.

§. 19.

Id vero fieri potuerit in neutra Processus ordinatione, nisi, sapienti quadam moderantia impediti, abstinerint summi legislatores ab omni iuris civilis ad iudiciarias leges admixtione, quam ad legem, formam iuris defendendi, non materiam iuris praebentem, neutquam pertinere, optimo iure ipsis visum est. Atque in hac moderatione, cum leges nostras iudiciarias legerem et cum extraneis recentioribusque processus iudicarii formulis compararem, magnam ego virtutem me deprehendisse credidi: nam poscit istam moderantiam rei natura et legislatoria virtus, quae in iusto ordine et consilii proposito perpetua recordatione praecipue conspicua est. Vicisse adeo videtur antiquior Ordo Iudiciarius recentiore in hac re, prudentissimo Pistoris iudicio: facillime autem legem iudiciariam, cum Jus Civile recipere conata fuerit, vagam fieri et emendationibus egere, quod profecto aut nunquam accidere debet aut rarissime, vidimus, ut uno exemplo utar, in doctrina de hypothecis, quam receperat praeter ordinem Ordo Vetus, Recognitus hypothecas tacitas abrogans retinuerat,
ita

ita ut uterque deinde variis rescriptis emendatoriis adiuvandus esset *). Legem vero ita comparatam, ut rescriptis tanquam fulcris egeat, *absolutam* nemo dixerit: causa vero huius mali fuit unice in limitum iustorum, qui legi iudiciariae scribuntur, arroganti contemtionem.

§. 20.

Verum enim vero leges iudiciariae vel perfectissimae, uti plerumque fit, minus utiles erunt patriae sanctissimoque iustitiae exercitio, nisi perpetua in iisdem habeatur ratio eorum virorum, qui publico munere functi iustitiam administrant, Advocatorum puta, iudicum inferiorum, et summorum magistratum patriae regimen moderantium. Hos omnes in auxilium quasi vocat sapiens iuris iudicarii conditor: mortuas esse leges sine eo, qui observari et exerceri curet, bene

x) O. V. Tit. XLV. O. R. ad eund tit. Historiam Juris Saxonici, quod in hac re sibi non constitit, et mutationum, quas, Gribnero suadente, subiere hypothecae tacitae habet, SCHOTT. J. S. p. 348. ed. HAUBOLD.

ne memor. Jam videamus, quid in hac re praestiterint Saxonum iudiciariae ordinationes!

Earum scilicet auctores cum viderent, per ipsam iuris administrationem, quae obtinet in his terris, per formulam civitatis, antiquos ritus et leges publicas primum videndum esse, ne male curentur civium negotia, tum quae consilium tantummodo et viri iuris periti prudentiam requirunt, *cavendo igitur et respondendo* versantur, tum quae litigiosae sunt et defensionem coram iudice litisque institutionem postulant, *agendo* igitur continentur, persuasum sibi habuere, ad civium negotia privatim audienda, conscribenda, proponenda et in formulam praescriptam redigenda; futura mala evitanda; ad insidias dolosaeque interpretationes prudenter removendas, ad causas deinde in iudicio orandas, ad ius, quod in thesi datum est, undecunque conferendum et ad speciem datam ita applicandum, ut qui ius dicturus sit, statim videat et iudicet, quid sibi voluerint litigatores, quid iure petierint? ad haec, inquam, omnia, quae causarum patroni sive Advocati munus efficiunt, honeste, viriliter et ex artis regulis curanda et gerenda, virum depolci, qui animi dotibus, virtutis studio, iuris viva et opportuna cognitione, scribendi demum genere plerosque civitatis ministros vincat et ex hoc munere

nere

nere civili ad quaevis alia patriae negotia possit evocari y). Quae his igitur scribantur leges, strenuas quidem esse voluere sapientissimi principes, sed ita liberales, uti deceat scribi viris, qui inter populum sunt et iudices quasi intermedii, legum interpretes practici et ipsorum iudicum primarii adiutores. Defunt itaque in utraque lege poenarum nimiae minationes, cum viderint legislatores sapientissimi, comminando malignos homines, cum audaces sint, non terreri, cum timuerint, cautiores tantum, non meliores fieri, seu, ut verbis utar viri rei iudiciariae peritissimi, poenas non dari ab iis, qui male, sed ab iis, qui ita imprudenter egerint, ut deprehendi potuerint. Animadvertes potius in utraque lege liberalem honestatis, sanctissimi iurisiurandi, venerandae, quae ex munere ipso profluat, dignitatis, ad altiora munera in civitate gerenda futurae evocationis commemorationem, dignam profecto ordine virorum, quibus haec edicuntur, ac legislatore, qui edixerit.

Si

y) O. V. Tit. III. O. R. ad eund. tit. et Mandatum d. d. 12. April. MDCCXXIII. in App. O. R. No. VIII.

Si vero qui fuerint nobilissimo munere indigni, litium protractores, transactionum iustarum contradictores, iuris defendendi vel miserabili imperitia vel vili venditione vel inhonesta levitate mali defensores, sunt in hos eadem nostrae leges gravissimae et severissimae ^{z)}. Quibus enim ad lites plus iusto protelandas utuntur pigri et negligentes causarum patroni commissis, dilationum petitionibus rel. porro, quibus abutuntur dolosi et fraudulentissimi caussidici partium instigationibus, et a componendis litibus dehortationibus, palmariorum stipulationibus, litium redemptionibus rel.; quibus astuti armari se solent iudicum deceptionibus, praecipue cum, ut fit, debiliores aut ignorantes hi deprehendantur, atque legum vel obscurarum vel ambiguarum audacibus conturbationibus, his omnibus, inquam, prudenter obviam itum est in legibus nostris, uti docent loca, quae huc spectant, permulta.

§. 21.

Cum vero primarium locum post causarum patronos teneant in re iudiciaria inferiores iudices

^{z)} Cf. tit. cit. de Advocatis et totum mdt. de ao. MDCCCXXIII.

dices, abs quorum dexteritate, honestate, juris cognitione, diligentia et rerum gerendarum experientia maximam partem internae salutis patria habere debet, necesse est profecto ut eorum munus ordo iudiciarius prudenter spectet et dirigat. Quod cum fecerint leges nostrae in quavis pagina summa tum liberalitate, tum gravitate, probandum id amplius non videtur *). Id tamen tacere non debemus, eximiam esse legum nostrarum prudentiam et cautionem in auctoritate iudiciali promovenda, tum contra litigantes tum contra causarum patronos; et, quae gravis omnino res videtur, in adiuvanda causidicorum et inferiorum iudicum aemulatione, qua efficitur, ne nimia utrorumque familiaritate partium iura negligantur; in obligatione inferioribus iudicibus imposita, ut ipsi litium compositiones amicas promoveant, neque nimis monstrent istum favorem, quem meliorem esse quam legem in codice proverbium affirmat; in perpetuo demum onere defensionis factorum suorum, quam leges nostrae

iu-

α) Cf. praeter titulum de officio iudicis ea loca, in quibus dignitas iudicialis muneris aut expressis verbis praedicatur, v. c. O. R. ad Tit. II, §. 1. aut implicite agnoscitur.

iudicibus imponere et quam utiliore esse vanis comminationibus poenarum, quas facile est eludere, docet forensis experientia. Ita factum, ut in eorum praecipue manus res iudiciaria veniret, quorum non interest causae litigiosae exitus, nisi plane decepti fuerint vel aperte corrupti: quod quidem aut impedire, aut reprehendere facile est.

§. 22.

Abolutum vero est opus per eam, quae ultimo loco commemoranda venit, utriusque legis iudiciariae virtutem, summorum nempe patriae magistratum perpetuam advocationem et venerandam, qua funguntur in iudices atque causarum patronos, inspectionem. Haec enim quasi vitam legum verbis inspirat et quae debilia in se essent et audentium conatibus commissa, fortia reddit et in perpetuum valida. Verum est, vim primariam hanc legum nostrarum institutionem accepisse recentiori Friderici Augusti III. P. P. sapientissimo instituto ^{β)}, ratione puta sub
finem

β) Per legem nobilissimam, cui inscribitur: *Generale wegen der jährlich einzusendenden Process-Tabellen d. d. Dresden, am 27sten Septbr. 1777.*

finem cuiusque anni Indicium forma a iudicibus reddenda ut quae sint causae litigiosae, quae sint partes, qui advocati, quae eo ipso tempore, quo indices transmittantur, litis conditio? statim perspicere possint summi Regiminis Senatus; id tamen concedendum est, per ipsas leges iudiciarias ita semper a iudicibus inferioribus postulari relationes de singulis litium quaestionibus ad superiores magistratus, Curias puta, Capitulorum ecclesiasticorum Regimina, summum denique provinciae Regimen, ut quale fuerit earum consilium in hac re quisquis videat. Scire enim debebant subditi omnes, litem aliquam instituentes, non a singuli cuiusdam municipii seu alio quovis iudice ius sibi dictum iri, sed ab ipsis legibus et a nobilissimis earum interpretibus, i. e. superioribus, quae patriae regendae praesint, collegiis. Ibi enim aut nusquam esse statuere leges nostrae iudiciariae iustam iurium cognitionem, ibi iudices integros, neutri parti addictos, ibi viros sedere, qui sciant coram Summo Principe, coram tota Germania et coram exteris adeo populis, in nos intuentibus, munere suo sese fungi, qui igitur digni sint, quos iustus quisque patriae civis iudices rerum suarum sibi optet, iniustus vero timeat. Referenda quoque est ad hunc locum, de qua multi disputarunt, dicasteriorum institutio, in terris nostris

ad hunc usque diem vigens, et per utramque legem iudiciariam servata: nam optime iudicatum iri sperarunt legislatores nostri res litigiosas ab iis, qui cum cognitione iuris, quod in thesi est, docta et ampla, rerum forensium vero experientia et collegialis colloquii gravissimo auxilio, iungant personarum litigantium oblivionem et a partium studio plane liberentur, quod in iudicibus ipsis praecipue oppidorum et pagorum interdum prevalere scimus.

§. 25.

Quae cum ita sint, neque facile quis negaverit vera esse ea, quae de legibus Saxoniae Electoralis iudiciariis huc usque protulimus, nequam secuti virorum doctorum auctoritates et commendationes sed in ipsarum legum iussa et quasi indolem diligenter intuentes: feliciter profecto et sapientissime functi sunt Principes nostri, harum legum auctores, eo officio, quod sibi sumferant et gratissima debent ipsos in perpetuum venerari Saxoniae cives recordatione piaque veneratione. Cum vero audiverit quis, qui has leges nostras bene legerit, multorum tum indigenarum tum peregrinorum ad nos pervenientium querimonias de litium in Saxonia Electorali diuturnitate, de processu possessorii, qui brevissimus esse deberet, imo momentaneus pro interna ipsius

in-

indole, iniqua protractione; de difficultatibus et ambagibus, quibus pronunciatae adeo sententiae vim rei iudicatae nactae, impediuntur; de impensarum durissimo onere; de remediorum, leuerationis nempe et praecipue provocationis ad superiorem iudicem abusu et de indigno, quo ita habeatur iustitia, ludibrio; de temporum porro, quae *fatalia* dicuntur, nimia longitia, quae vel sola litigantes, praecipue non possidentes, opprimat; de summa, quae causarum patronis detur et iudicibus, officii sanctissimi immemoribus, cives fallendi et in lites ex litibus tractas protrudendi opportunitate; de durissima denique, quam sexcenties urgeri audimus, partium litigantium obligatione ad facta et scripta Advocati agnoscenda et de ablegatione ad diabolicam caussidici excussionem, si vel negligentia vel ignorantia, vel malitia rem male gesserit, qua non probata, restitutio negetur: cum quis, inquam, audiverit querelas hasce profecto gravissimas, imo saepius, ut vera confiteamur, veras, sciat ille, primum, nil humanum ab omni parte absolutum esse, iniuria itaque id postulari a lege hominibus ab hominibus data, sufficere vero quod leges, quas hucusque laudavimus pro interna sua indole et natura in se contineant maioris emendationis et absolutionis quasi germina et

ini-

initia γ); deinde sciant, qui iudiciorum nostrorum formam reprehendunt, magnam protractionis iniquae culpam saepissime non tribuendam esse *legibus, sed iniustae observantiae, iudicum et advocatorum negligentiae, partium denique ipsarum ignorantiae, nimiae cupidini et morae in auxiliis probationum offerendis*: recordentur denique isti legum nostrarum processualium accusatores, gaudere has leges duorum fere saeculorum laudibus et multum ad ipsarum summam absolutionem conferre posse superiorum Regiminis collegiorum, praecipue Senatus Provocationum interpretationes et additiones, Juris Consultorum vero a ducentis inde annis tum ius dicentium, tum iudicantium, tum causas orantium meditationes et quam forensis experientia illis praebuerat, singularum tanti operis particularum rectissima diiudicatio.

Quae omnia si secum reputaverit legum a Jo. Georgio I. Principe Electore Saxoniae et Frederico Augusto I. Rege et Electore de re iudiciaria latarum attentus et iustus perscrutator, cum ipse felicis nostrae patriae civis sit, gratula-

bi-

γ) Indicavit hoc expressis verbis Ordinis Iudiciarii Recogniti auctor summus, in Mandato praemisso verbis: *Wir behalten uns zugleich vor, dieselbe (Unsere Gerichts-Ordnung) in Zukunft nach Befinden und Beschaffenheit derer Zeiten und Umstände, in einem oder dem ändern weiter zu erklären oder zu verändern.*

bitur provinciae nostrae leges has perfectissimam iudiciorum formam fere attingentes: si vero peregrinus sit, admirabitur sapientiam Principum nostrorum, qui istis temporibus, quibus non ita clara erat et absoluta principiorum, qua munus legislatorum regendum sit, disciplina, has leges iudicarias nobis proposuere de quibus valere videtur Cicerones illud ^{d)}: qui aliter ius (iudicarium) tradunt, non tam iustitiae sed litigandi tradunt vias.

d) de Legg. I, 6.

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

Corrigenda.

- pag. 2. lin. 4. formas leg. formae,
- 3. lin. 4. 5. leg. et esse debet civ. const. gubernatori sapienti, definitur
- 5. in not. leg. Ip. Ante I.
- 6. lin. 4. not. f.) leg. iudicum,
ibid. lin. 12. loc. f. leg. g. et l. g. leg. f.
ibid. lin. 10. loc. ordinatione leg. ordinatio.
ibid. in not. f. leg. alius profecto,
ibid. post retineri ad de posset,
ibid. lin. 8. leg. Institutionum.
pag. 7. pro imperatorio leg. imperio,
ibid. lin. 12. leg. iunctus.
pag. 8. pro vidimus leg. viderimus,
ibid. lin. penult. leg. internam,
pag. 11. lin. 7. 3. leg. superasse videtur venerabilis p. patr.
- 12. lin. 3. det. formam.
ibid. lin. 9. not. v.) pro quod leg. quo,
ibid. leg. nostratem.
pag. 14. in not. z.) leg. articulati,
ibid. lin. 15. leg. probemus ex interna,
pag. 24. lin. 15. leg. horridus.
- 26. not. a.) leg. Nobilissimum exemplar
ibid. leg. Curia Provincialis Lipsiensis,
pag. 32. in not. l.) pro sciunt leg. sciant.
pag. 34. in not. lin. 3. leg. Austriacae
- 41. lin. penult. leg. edicantur.
pag. 45. lin. 13. leg. Ibi enim, aut nusquam,
-

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.

Datum der Entleihung bitte hier einstempein!

SLUB DRESDEN

3 2317771

(204) JG 162/14/79

H. Pax. C. 1597

